

1097 geretur, præterquam ab ea parte, qua altissimi montes illi incubant, ubi nihil tutum nostris ab hostium incursu esse poterat. Erat Antiochia duplice muro circumdata, cuius pars interior lateribus, quæ extra erat, quadratis lapidibus constabat: sexaginta ad hæc supra quadringentas tradunt illi fuisse turres: arcem præterea in ea parte urbis, quæ ad ortum spectat, munitissimam, omnia oppugnatum ingenia, omnes conatus frustraturam. Lacum urbi propinquum, piscium abundantem: agrum fluminibus fontibusque irriguum, ac miræ feracitatis: recedit autem duodecim millia passuum a mari, quod Cilicum vocant. Hic suam Petrus Apostolorum Princeps sub prima Ecclesiæ initia sedem fundasse dicitur, quod ipsum multum postea splendoris loco attulit. Sub primam igitur obsidionem, quia uvæ in vitibus maturæ erant, fames non tam cito sentiri potuit: aluit etiam aliquandiu numerosum exercitum frumenti vis ingens, in puteis, quibus ejus regionis incolæ utuntur, reperta: pecoraque ex occultissimis convallis in castra interdum abducta: quarum expeditionum auctores erant Armenii quidam, Christianæ professionis viri, qui proximorum montium juga incolebant. His, quia Christi fidem ab initio acceptam, post Hierosolymam Heraclii temporibus a Sarracenis captam, constanter retinuerunt, nunquam ab impio hoste certas habere sedes fuerat permisum: novissime Carpharatus Ægyptius, quartam urbis partem circa sepulchrum Antistiti & ejus plebeculæ, annua pensione pacta, incolendam tradidit. Audita autem nova Christianorum in Asiam expeditione, Hierosolymis pulsi in montibus Antiochiæ vicinis confederant.

1099 Sed dum Galli Germanique duces hæc in Asia gerebant, Veneti (ultro ne an Alexii Imperatoris Pontificis suasu & adhortatione, incompertum habeo) classem validissimam, & quantam ad eam diem nunquam comparaverunt, in Ioniam miserunt: ducentas omnis generis fuisse naves apud quosdam reperio, quibus Henricus Contarenus Castellanus Antistes, & Michael Vitalis Ducis filius, cum imperio præfuere. Sunt qui tradant, ante Hierosolymam captam

*Urbis de-
scriptio.*

*Veneti clas-
sem infor-
munt.*